

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Mulier ac cum fonte primo

Fauus distillans labia meretricis et
nitidius guttur eius oleo
et cetera.

In fauo enim duo sunt: mel et
cera; et in facie meretricis similiter duo,
scilicet decor et gracia, hoc est
pulcritudo oris et dulcedo sermonis.
Cera succendit ignem, mel prebet
dulcedinem; sic pulcritudo meretricis
igne libidinis inflammat carnem,
blandimento uero lenocinantis sermonis
subuertit mentem. Stillat mel ex cera
dum meretrix uerba sua mollit et facit
dulcia. Hanc autem dulcedinem eterne
mortis amaritudo comitatur. Vnde
sequitur ibi: nouissima illius amara quasi
absinthium et acuta quasi
gladius biceps.

Diligit mulier ut decipiat, decipit ut
rapiat; amat quod habes, non quod es.

Hugo ibidem (in libello ad socium
uolentem nubere).

Et in eodem (*Prov. 5:3*) scriptum est:
*Fauus distillans labia meretricis, et
nitidius guttur ejus oleo.*

Hugo de Folieto, *De nuptiis*, 1, 2 (PL
176, col.1207A).

In fauo mellis duo sunt, id est, mel et
cera. In facie meretricis similiter duo,
scilicet decor et gracia, hoc est
pulchritudo oris, et dulcedo sermonis.
Cera succendit ignem, mel praebet
dulcedinem. Sic pulchritudo meretricis
igne libidinis inflammat carnem,
blandimento uero lenocinantis sermonis
subuertit mentem. Stillat mel ex cera,
dum meretrix uerba sua mollit et facit
dulcia. Hanc autem dulcedinem aeternae
mortis amaritudo comitatur. Unde
sequitur: *Novissima illius amara quasi
absinthium, et lingua ejus acuta quasi
gladius biceps.*

Mors aeternae damnationis per gladium,
amaritudo uero desperationis per
absinthium designatur. *Custodi ergo
animam tuam a muliere mala, et a
blanda lingua extraneae, non
concupiscat pulchritudinem ejus cor
tuum: ne rapiaris nutibus illius, pretium
enim scorti vix est unius panis* (*Prov.*
VI).

Diligit mulier, ut decipiat, decipit ut
rapiat. Amat quod habes, non quod es.

Hugo de Folieto, *De nuptiis*, 1, 2 (PL
176, col.1207B-C).